

No. 753. 1400. 15. März.

P. Bonifacius IX. ertheilt Denen, welche das im Besitz der Markgräfin Elisabeth befindliche nach deren Ableben an einem heil. Ort aufzubewahrende goldene mit werthvollen Reliquien geschmückte und an bestimmten Festtagen ausgestellte Kreuz verehren werden, einen sehr ausgedehnten Ablass.

Bonifacius episcopus servus servorum dei universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Splendor paternae gloriae etc. Cum itaque sicut accepimus dilecta in Christo filia, nobilis mulier Elizabeth marchio-nissa Misnensis habeat quandam crucem auream et pretiosam, diversis gemmis et lapidibus pretiosis ornatam, in qua inter cetera ut asseritur de vero ligno sanctae crucis ac de spinea corona domini nostri Jesu Christi, ac de pepulo beatae Mariae virginis, nec non de digito sancti Johannis baptistae, ac nonnullae aliae diversorum sanctorum reliquiae venerabiliter sunt reconditae, ac crucem ipsam temporibus vitae suae in debita reverentia et honore penes se et in capella sua retinere, et post eius obitum ad aliquam ecclesiam seu alium pium locum reverenter reponi facere proponat, nos cupientes, quod ipsa crux in eius signum, cuius est signatum, prout decet reverenter¹⁾ et ecclesia sive locus huiusmodi, ubi reponetur, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad ecclesiam sive locum huiusmodi, quo ex hoc ibidem dono celestis gratiae uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis qui crucem ipsam quotiescunque eam in festivitatibus, celebritate ac diebus infra scriptis duntaxat ostendi contigerit, devote inspexerint, septem annos et totidem quadragenas, qui vero ecclesiam sive locum huiusmodi, ubi forsitan reponetur, postquam ibidem reposita fuerit, ut praefertur, in nativitatis, circumcisionis, epiphaniae, resurrectionis, ascensionis et corporis domini nostri Jesu Christi ac penthecostes et sanctae trinitatis, ac nativitatis, annunciationis, purificationis et assumptionis beatae Mariae, ac nativitatis beati Johannis baptistae et beatorum Petri et Pauli praedictorum et omnibus sanctae crucis nec non dedicationis ecclesiae seu loci huiusmodi festivitatibus, ac in celebritate omnium sanctorum nec non per ipsarum nativitatis, epiphaniae, resurrectionis, ascensionis et corporis domini, trinitatis, sanctae crucis, ac nativitatis sancti Johannis baptistae ac apostolorum Petri et Pauli praedictorum festivitatibus octavas et per sex dies dictam festivitatem penthecostes immediate sequentes ecclesiam sive locum huiusmodi devote visitaverint annuatim singulis videlicet festivitatibus et celebritatibus septem annos et totidem quadragenas, octavarum vero et sex dierum praedictorum diebus quibus ecclesiam sive locum huiusmodi visitaverint, ut praefertur, centum dies de iniunctis eis penitentibus misericorditer relaxamus. Volumus autem, quod si alias dictam crucem reverentibus seu ecclesiam sive locum huiusmodi intuitu crucis ipsius visitantibus vel ad eiusdem ecclesiae sive loci reparationem seu fabricam manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosynas erogantibus seu alias aliqua alia

1) *revereatur?*